



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciae

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Stathagae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)

WULFENBUTLIAE.

*Non huic mellito spiravit ab ore venenum,
 Consona sed menti lingua manusq; fuit.
 Pacis amans, studio quarebat simplice pacem,
 Sape est consilio rixa diremta viri.
 Non pedibus pariter templo insistebat & aula,
 Contentus sortis conditione sua.
 Tres ubi cum lustris duodenis vixerat annos,
 In domino placida morte sepultus obit.
 Mors aditus vite, mors ipsa est janua cali,
 E medio justis funere vita redit.
 Desine livor edax, nihil obsunt verba sepulchris,
 In Christo moriens omnia victor habet.*



WULFENBUTLIAE.

Hic Dux Henricus prope corpora cara duorum
 Natorum, Marvora quos truculente necat,
 Conditur, ac latus caelesti pace quiescit,
 Ridet & arumnas, impie munde, tuas.
 Qua mala non vidit? quos non tulit ipse labores?
 Aurat & chlamydis non minus atq; toga.
 Tertius at patria spes unica stirpis IULUS,
 Humanos casus aspice, regna tenet.
 Obiit anno 1568. xv. Julii inter 7.
 & 8. vespertinam.

STATHAGAE.

EPITAPHIUM D. OTTHONIS
 Comitis Schoumburgii.

Hic utrinq; sua consortis imagine cinctus
 Stat Comes illustris Jodoci filius Ottho,
 Ottho Comes Schoumburgiaca primaria gentis
 Gloria, consilio prestans, dextraq; fidelis
 Ensisera, Turcisq; olim Gallisq; tremenda:

Caesaribus

STATHAGIA.

352

Caesaribus dum pro patriis, & rege Philippo
 Bella gerit victor. Sed quem nec tela, nec hostes
 Devicere, ardens mox pustula vicit, amanti
 Et patria eripuit. flet Mars, flevit Camæna.
 Ipse agit æternos caelesti in pace triumphos.

EPITAPHIUM

Mariæ Pomeranicæ D. Otthonis Comitiss
 Schoumburgii uxoris.

Hac Maria est Pomeranorum sata principe fortè
 Barnimo, quam conspicuus florentibus annis
 Ottho Comes sibi consortem delegit, amore
 Casto ardens: cui fulvo auro magis aurea virtus
 Corpore in eximio regnans, animusq; pudicus,
 Admorant faculas. quater illam masculus hæres
 Effecit matrem, quorum Ottho hac conditur urna.
 Tres etiam nunc consilio & virtute supersunt.
 In patria & foris illustres, & honoribus aucti.
 E calo genitrix quibus omnia fausta precatur.

IN STATUAM

Elisabethæ-Ursulæ Lünæburgiæ D. Otthonis Co-
 mitiss Schoumburgii relictae viduæ.

Pulcra quidè hæc statua, & matrona illustris imago est.
 Pulcra oculos, formosa genas, digitosq; tenellos;
 Sed quæ viva memor mortis sibi talia condi
 Ursula mandavit, longè est, formosior illis.
 Omnia sunt muta hîc, motuq; & sensibus orba.
 Illi autem pulcro mens est in corpore longè
 Pulcrior. est sermo mentis pulcherrimus index:
 Est pietas, grege castarum comitata sororum.
 Ergo illam vivam potiùs, quàm flebile marmor
 Ut liceat spectare, pio patria ore precatur.


Memoriæ

JOHANNIS CRUSTII ISLEBIENSIS.

Cui vitam Islebium dederat, cui Baltica Rhossea

Z ij

*Excoluit mentem & vocem; Schoumburgius heros,
Cujus consiliis operaq; est usus alacri;
Crusius hic recubat, qui dum servire paratus
Omnibus est; sibi met non sat bene servit ipsi.
Tabes etenim illius sicca hac sub mole quiescunt
Ossa, sed eterna fruitur mens viva quiete,
Viventem & multis, ne sit sibi mortifer uni,
Admonet, accusans passim diversa sequentes.*



CELLAE.

EPITAPHIUM ERNESTI DUCIS BRUNS. ET LUNEB. QUI
obiit anno 1546. 2. Jan. æt. 49.

EXigua Ernestus Dux hic requiescit in urna,
Lunaburgensis fama decusq; soli.
Aurea quo patria Duce pax est reddita nostræ:
Et cœpit Christi notior esse fides.

SOPHIÆ ERNESTI CONJUGIS, QUÆ
obiit anno 1541. 18. Junii.

*Hac tumba Sophia requiescit nobile corpus,
Qua chara Ernesti Principis uxor erat.
Sponsaq; jam Christi caelesti gaudet in aula,
Spernens præ veris ista caduca bonis.*

FRIDERICI OTTHONIS DOMINI
Brunf. & Lüneb. qui obiit anno 1553.
20. Julii, ætatis 21.

*Hic etiam frater posuit juvenilia membra
Fridericus pacis nobile nomen habens.
Qui tua dum sequitur Maurici castra, decorum
Accipiens vulnus, fortiter occubuit.*

FRAB.